Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Quaestiones casuales - Cod. Aug. pap. 116

Johannes <de Friburgo>

[Reichenau], [14.-15. Jahrh.]

Johannes Friburgenis: Prologus casualium

urn:nbn:de:bsz:31-83376

Visual Library

Incipit prologus casualium fratris iohannis ordinis predicatorum.

Quoniam dubiorum nova cottidie difficultas emergit casuum doctores moderni tam theologi quam iuriste plures casus et legendo et scribendo determinaverunt que in antiquioribus compilacionibus non habentur et alia que priores scripta reliquerunt a posterioribus in pluribus sunt emendata et perfeccius declarata. Cum igitur quam plurime questiones ad consilia animarum perutiles diversorum doctorum per volumina sint disperse. Ego frater iohannes lector de ordine predicatorum minimus aliquas ex illis quas magis iudicavi utiles in unum collegi ad meum et aliorum fratrum profectum ut si qui forte librorum copiam non habuerint vel ad tot scripta et summas transcurrendas non vacaverint hec collecta sub compendio multa de hiis inveniant que requirunt. Ut autem iudicium in foro animarum utilitati perfeccius intenderem primo tam de textu tam de apparatu seu glosa summe venerabilis patris remundi quondam magistri ordinis nostri que penitenciarios spiritualiter dirigit registrum sive tabulam secundum ordinem alphabeti cum diligencia ordinavi. Addidi quoque ad emendacionem vel declaracionem tam textus quam apparatus eiusdem summe a posterioribus approbatis tradita a doctoribus utilia videbantur ipsi summe in spacio ascripsi in quibus et cum illis concordent vel dissenciant ibidem quantum repperi designavi. Sed de quibus materia vel ab aliis tractum adhuc legi ea sicut scripta sunt nunc comprobando nec improbando reliqui quia de mea propria sententia quasi nichil mihi sic in presenti opusculo posui sed tantum aliorum famosorum in ecclesia doctorum sentencias referens et ut plurimum ipsorum verba ponens librorum nichilominus eorundem summarum et scriptorum de quibus assumpta sunt nomina et loca

assignans relator sum et non inventor. Tercio in isto libello
questiones casuales que vel non continentur vel minus plene continen-
tur in ipsa predicta summa fratris Reimundi et apparatu eius in plu-
ribus doctorum libris et scriptis invenire potui inventum collegi
eas sub titulis eiusdem summe et eorundem librorum et titulorum
ordine disposui aliquas insuper rubricellas de specialibus ma-
teriis quibusdam titulis superaddo. Sunt autem hec collecta maxime
de libris horum doctorum memorati ordinis videlicet fratris alberti
quondam ratisponensis episcopi. fratris thome de aquino et fratris
petri de tharentasia postmodum summi pontificis innocencii
v. magistrorum sollempnium in theologia. Item fratris ulrici quondam
lectoris argentinensis eiusdem ordinis qui quamvis magister in theologia non
fuerit scientia tamen inferior non fuit ut in libro suo quem de
theologia et philosophia scripsit evidenter innotescit et famosorum
lectorum de scolis ipsius egressorum numerus protestatur. Unde et postea
provincialatus theotonie laudabiliter aministrato officio parum
ad legendum directus ante lectionum inceptionem inde adeo est
assumptus. Item ponuntur hic aliqua de summa gaufredi et plura de summa
ebrudinensis que dicitur copiosa qui postmodum factus cardinalis
hostiensis. Adduntur hic aliqua de novis statutis summorum pontifi-
cum seu in modernis conciliis editis seu in curia publicatis.
Sed et sciendum quod secunda pars secunde de summa fratris thome predicti
que in maiori parte sit moralis et casualis plurima de illa
sumpta in hoc opusculo posui et ideo ubicumque solum dicitur in isto
secundum tho. in summa vel simile nullo addito semper intelligendum est
de secunda secunde nisi alia pars specialiter exprimatur. rubrica seu par-
agrafo aut distinctione curatur donec locus alius in littera vel
in spacio describatur. locum autem scripti super signans non nomine
doctoris sed potius per designata propter scriptorum pluralitatem

de hiis vero leccione libelli melius quam verbis lectoris poterit informari. Incipit libellus de questionibus casualibus que in summa remundi et apparatu eius vel non continentur vel minus plene continentur. De symonia j capitulum

Unde symonia primo queritur quare dicatur heresis ut patet prima questione ultima et pluribus locis aliis. Responsio secundum thomam in summa q. c. art. 1 Ideo simonia dicitur heresis quia sicut protestacio fidei exterior quedam religio est et si non sit in corde ita cum vendit spiritualia vel donum dei quedam protestacio infidelitatis est quia ipso facto protestatur se dominum esse spiritualium donorum licet corde discredat. Concordat hiis petrus super iiij sententiarum d. xxv Et ulricus libro suo vi tractatu in capitulo xx. Secundo vocatur simonia et addit ulricus idem quia est in primo suo auctore scilicet symone ex mala radice infidelitatis hoc vicium pullulavit quam heresim ei petrus imperavit dicens quod donum dei existimasti pecunia possideri. hoc non dicit thomas. existimavit symon quia dixit quod mundus adeo non erat creatus sed quedam superna virtute ut dicit ysidorus in libro ethicorum et secundum hoc inter alios hereticos simoniaci computantur ut patet in libro augustini de hereticis . . . ij . .

Queritur quare symonia heresis dicatur optinere primum locum. Responsio secundum ulricum. Cum ergo et sequitur quia symonia maximum est peccatum sicut patet questione 1 ultima patet omnia crimina ad comparacionem symoniace heresis quasi pro nichilo reputabuntur. Sed istud intelligendum est non ulricus de qualibet symonia sed que est perfecta immitacio peccati symonis quod fuit cum infidelitate et malicia ut patet per verbi petri dicens Actuum viij Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Ubi ambrosius in libro de penitencia sic ponit literam Non est tibi pars neque sors in fide hac. et subdit quod hunc condempnat eo magis quia puram conscienciam fidei non habebat patet ergo de infidelitate de malicia autem dicit In felle amaritudinis et iniquitatis obligacione video te esse In felle significatur maxime malicia. Obligacio autem